

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali

Hufeland, Gottlieb

Jenae, 1799

VD18 12256064

§. 13. b) Quoad formam.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8845

ragendae sunt; id quod rite factum esse ex eadem protestatione cambiali clarum esse debet. *)

§. 13.

b) Quoad formam.

Ex omnibus hucusque expositis patet existentia et qualitate plurium factorum, quippe primo actionum a protestante peragendarum, secundo factorum alienorum easdem subsequendum, tertio ipsius protestationis, quae quidem semper facti est, ad protestationem cambialem ejusdemque effectus juridicos opus esse. Omnia haec in jure et judicio probanda sunt; absque probatione enim factorum apud judicem et magistratum nec fides esse potest nec respectus. Cum vero ista res in processu cambiali argumentis sit firmanda; ea solummodo argumenta admittenda sunt, quae, ut supra dixi, probationem in continenti liquidam eamque plenam praebeant. Liquide vero in continenti non probant testes, qui et ob eandem rationem ab omni processu cambiali arcentur. De juramento dubitatur. Ocularis inspectio in factis praeteritis vix quidquam efficere potest. Propria confessio, ejus scilicet a quo petitur, hic cum de factis tertii disceptatur, non est efflagitanda. Restant solummodo ex omnibus probandi mediis instrumenta; sed privata, nisi recognita sint, et confessionem propriam contineant, quae vero secundum superius allata hujus non est loci, vel nullam probandi vim vel saltim minus plenam habent. Nil ergo
su-

*) Cum vero interdum hic factum proprium occasionem proxime non praebeat protestationi cambiali; tale factum proprium non ad omnem protestationem requiri in aperto est, quod contra *Ern. Frid. Schröterum* diss. de protestationibus (Ien, 1657) vol. 2, monendum necessarium duxi.



supereft, nisi instrumentum publicum. Habes igitur, cur hanc formam solam necessario induat protestatio cambialis.

§. 14.

4) Confectaria.

Redundat ex omnibus hactenus expositis, omne jus, quod non nisi ope processus specialis cambialis perlegendum et obtinendum est, omneque remedium ad eundem solum restrictum, necessario desiderare protestationem cambialem, nisi alio quodam modo plene et in continenti liquide probari possit. *)

§. 15.

Nisi omnia ista hactenus enumerata inter se jungas, veram et justam protestationis cambialis notionem tibi non effinges. Non enim hoc praecipuum rei est, te ista jura, ad quae protestatio referenda est, absque eadem necessario et generatim perdere; sed solummodo ista facta, quae ad juriu[m] existentiam adesse debent, justo modo in processu cambiali absque protestatione probari non posse. Sequitur inde aperte protestationem non

*) Ex supradictis etiam apparet, cur quaedam leges provinciales (c. g. Allg. preuss. L. R. P. II. §. 1274. Alias leges, quae idem praescribunt, allegatas invenies in *Io. Christoph. FRANCKII institution. jur. camb. L. I. Sect. 3. tit. 9. §. 13. not.*) etiam circa assignationes mercatorum protestationem requirant. Statuunt enim eadem, ex his executive agi posse, in quo processus genere omnia quoque clara et plene probata sint necesse est. In genere tamen in assignationibus protestatio non est necessaria habenda. *LVDOVICI Wechselproc. c. 11. §. 63. 64. ibique citat.*